



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 4. Hominum exemplo, Deum ad auaritia[m] plectendam inuitari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?

§. IV.

Hominum exemplo, Deum ad auaritiam plectendam inuitari.

Hoc æquum esse, sapienter Metellus Numidicus, in censura, populo demonstrauit his verbis: *Dij immortales plurimum possunt; sed non plus velle debent nobis, quam parentes; si pergunt liberi errare, bonis exheredant. Quid ergo nos à dijs immortalibus diutiùs expectemus, nisi malis rationibus finem facimus? Isdem deos propitios esse æquum est, qui sibi aduersarij non sunt. Qui ergo opibus, quas à Superis habent, Superos offendunt, digni utiq; sunt, vt exheredentur. L. Sylla, victo ad Chæroneã Archelao Mithridatis duce, Thebanos, qui cum Mithridate fecerant, dimidio agri multauit. Et passim Romæ, qui pro criminibus grauioribus supplicio censebantur afficiendi, illorum quoque bona, ob criminis detestationem, publicata fuerunt. Sic domini supplicium, bonorum publicatio sequebatur. Vnde, Tarquinio rege eiecto, ager, qui Tarquiniorum quondam fuerat, Marti dicatus, Campus Martius dictus est.*

AGellius
l. 1. Noct.
c. 6.

Plutarch.
in Syll.

Idem in
Poplicola.

Alex. l. 3.
c. 23.

K

Cassij

Cassij domus, cui ob affectati regni crimen dies perduellionis dicta fuit, euerfa, area ante Telluris ædem facta est. Domus præterea M. Manlij Capitolini, quæ quondam in arce fuerat, qui suspicione regni pœnas dedit de saxo deiectus, ædes atque officina Monetæ fuit. Cùm Marcellus quidam nequam & criminofus, qui in ganea & lustris vitam egerat, propter latrocinia sordesque vitæ capitali supplicio pœnas dedisset, bonis publicatis, in ipsius domo ab Æmilio & Fulvio censoribus macellum, vbi obsonia venderentur, locum extractum ferunt. P. Clodius Tribunus plebis Ciceroni in voluntarium exilium fugienti aqua & igni interdixit, eoque exterminato, villas eius incendit, domum incremauit, & areæ ædem Libertatis inædificauit, reliqua bona hasta subiecit, quæ quotidie proclamauit. Themistoclem, vt suprâ memini, cùm in adolescentia minùs probatis moribus esset, proprij parentes exhæredarunt. Hoc homines faciunt: hoc faciunt parentes: quin & domini, qui ignauis seruis, & duces, qui militibus fugitiuis stipendium subducunt. Et Deus parcat, cùm videt eos, quos omnibus bonis circumuallauit, tam improbos & ingratos,

Plutarch.
in Cicer.

Prob. in
Themistocle.

gratos, iniustitiâq; plenos? immò ipsis bonis in malum abutentes?

§. V.

Non tamen more hominum dissimulari à DEO hominum auaritiam.

Apud mortales sanè opulenti, licet maximè rei, plerumq; euadunt, vel quia iudices pecunia corrumpit, vel quia terret auctoritas; & certè, si possibile esset in diuites vindicta procedere, videres ex eis repleri carceres vniuersos, ait S. Chrysostomus, sed cum omnibus malis suis hoc malum habent diuitia, quòd in malignitate peccantes ab ultionibus eruunt. Apud omnipotentem autem iudicem, quem nihil latet, nihil terret, nulli diuites effugiunt pœnam quam meruerunt.

Peccatores persequitur malum: & iustis retribuentur bona. Bonus relinquit heredes filios, & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris.

Sic diuina æquitate Ægyptiorum diuitiæ translatae, diuq; per Ægyptios iniquissimè pressis datae sunt Israelitis: ac paulò antè iisdem Ægyptijs magnæ clades illatae sunt, & percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum: cunctamq; herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit. Quod

S. Chryf. in ep. ad Hebr. ser. 2.

Prou. 13. 21.

Exod. 9. 25.